image
not
available

ORATIO HABITA IN PRIMA INGRESSIONE IN GYMNASIVM BONONIENSE

A THOMA CORRAEA.



BONONIAE, Apud Io. Rosſium. CIↃIↃLXXXVI.
X. Kal. Decemb.

Curiae Archiepiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.

PERILLVSTRI,
AC
REVERENDISSIMO
D. GASPARI
ARMIO.

XYSTI. V. PONT. MAX.
Intimo cubiculario, & Tricliniarchae

Chriſtophorus Turrinius. S. P. D.

PRAECLARE cum illis agi exiſtimo, qui, cum in aliquem optime ſint animati, beneuolentiã, & amorem ſuum, non egregia ſolum voluntate, ſed rẽ ipſa etiam demõſtrare, ac declarare poſſunt; eos autem, quibus nulla facultas eſt, id efficiendi, animiq; ſui propenſionem, ei teſtificandi, quem maxime colunt, valde eſſe ſolli

citos,& praecipua quadam cura angi credē dum eſt: Nam licet verus amor ipſa animi alacritate contentus ſit, is tamen confirmatur vehementius, & corroboratur ſtudio perſpecto, & beneficio accepto; quòd cum effici non poſsit, illud etiā accedit incommodi, vt qui ingenue, ſincereq́; amant, ficte, & ſimulate amare, plerunque iudicentur; cui malo nullum aliud ego remedium inueniri poſſe arbitror, aut accommodatius, aut opportunius, quàm vt alieno auxilio, alienaq́; liberalitate vtantur ij, qui ob virium imbecillitatem, & inopiam nihil ſe praeſtituros eſſe intelligunt: quod ſi mihi aliqua ratione antea non ita clarum fuiſſet, multo ſane clarius in me ipſo nunc experirer, & cognoſcerem, qui cum ſtudij, & obſeruantiae meae ſingularis aliquod ſignum tibi nunquam oſtendere, potuerim, dici vix poteſt, quàm varie interdum afficerer, quantopere mihimetipſi diſplicerem, eoq́; magis angebar, ac dolebam, quòd cum omnia fere alia ſecunda, & proſpera ſuccederent, hoc vnum multo aliter, atque optarem, eueniebat.

Nunc

Nunc vero hac tali, tantaq; ſollicitudine, tanquam onere grauiſsimo, alleuari me aliquantulum ſentio, cum exiguam incredibilis obſeruantiae meae ſignificationem, a te facile perſpectum iri, videam. Itaque, cum pluribus de cauſsis, mihi ſummopere gratum, & iucundum, ac paene glorioſum ſit, Thomã Corraeam, Praeceptorem meum, ad humaniores litteras, priore loco explicandas, ab Ampliſsimo Bononienſi Senatu, in hanc celeberrimam Academiam, honeſtiſsimis praemijs, accitum eſſe; tum illud etiam maximae laetitiae, ac voluptati eſſe debet, eius cauſſa, & beneficio, percommodã nactum eſſe me occaſionem, tibi declarandi non minus egregiam, quàm propenſam meam in te uoluntatem. Duas igitur orationes, multorum rogatu, & precibus, a me editas, quas ipſe in omnium conſpectu, maximaq; Ciuium frequentia, in auſpicijs ſtudiorum ſuorum habuit, mitto ad te; quas, ſi petam, vt hilari, laetoq; vultu accipias, praeterquàm quòd eximiae tuae humanitati, ſingulariq; probitati, quam, & ipſe iamdu-

dum habeo perſpectam, & ab omnibus mirum in modum praedicari audio, multum diffidere viderer, eidem Corraeae etiam, cuius te ſcio eſſe peramantem, iniuriam quodammodò facerem; illud potius contendam, vt hoc non contemnendum optime propenſi in te animi mei pignus tantiſper aequo animo feras, dum aliud quidpiam induſtria, laboreq; meo per polio, quod, nomine tuo, tanquam firmiſsimo praeſidio, munitum, breui editurum eſſe me, confido. Vale. Bonoiae. Non. Decemb.
CIↃ IↃ LXXXVI.

CVM semper difficilem, & arduam prouinciam existimauerim PP. AA. Senatores vigilantiss. Doctores sapientiss. Viri ornatiss. de loco superiore personam interpretis agere: auditorum mentes dicendo tenere, oratione in eum sensum ducere, quem animo concipias, doctrinae varietate, abdita, & recondita rerum cognitione, insitas opiniones euellere, nouas inserere: Tum difficilius nihil, aut maius, quàm, quòd hodierna die, siue studijs vestris adductus, siue officio commotus, siue vtraq; re impulsus suscipere cogor, si cogi dicendus est is, qui libenter, vel roganti morem gerit, vel inuitanti obtemperat non grauate. Nam & si vsu plerumq; venire soleat, vt maiora se, quisq; sustinere posse arbitretur, quàm, vt eius ingenium, ac vires ferre queant, ac sæpe falsa quadam opinione roboris illa mediocria onera esse, putet, quorum ponderi succumbere cogatur: tamen suscepti muneris magnitudo tanta est, & grauitas, vt facile cuiusuis animum debilitare possit, ac frangere; ne dum meum, qui nullum tàm leue onus in hisce spatijs proponi putem, cui non impares vires meas esse confitear: Etenim ad illud me aggredi video, in quo, vt à nulla officij parte recedam, difficile factu est; vt uero studijs, & voluntati horum vigilantiss. Senat: respondeam, ut exspectationi auditorum faciam satis, vt dignum auribus eruditis aliquid afferam; vt nomini, & famae celeberrimae

berrimae huius Academiae seruiã, vt multorũ desideriũ expleã, vix ab hac mediocritate mea requirẽdũ videtur. Non enim solum tàm multarum rerum pondus mihi sustinendum esse, intelligo; sed elaborandum diligenter, & pro mea virili contendendum, vt eorum, qui ante me in hisce spatijs constiterunt, insequar vestigia; conandum, & enitendũ, ut illorum opinionẽ non imminuam, qui tàm honorifice de ingenio meo, & cogitarunt, & statuerunt. Quare non possum non commoueri, cum illis succedam, quibus, ne si omnia quidem ornamenta doctrinae haberẽ, parem me esse posse, considerem. Quo mihi magis omnes orandi, & obtestandi estis, vt hanc meam tenuitatem, studio, alacritate, beneuolentia vestra adiuuetis: vt hisce rebus subleuatus, commodius diligentia compensem ingenij tarditatem. Enimuero si cogitare velimus prima illa initia huius augustiß. sapientiae domicilij; ac memoria repetere, qui primi in his Musarum sedibus iuuentutem totius fere Europae ad omnem doctrinam informauerint; atq; inde sensim, quasi per quosdam annorum gradus, ad haec vsq; tempora descendere; illos antiquiss: tales fuisse reperiemus, quibus nihil perfectius poßit cogitari; quorum opera hoc vetustiß: sapientiæ sacrarium, hae doctrinae consecratae sedes, haec arx virtutũ omniũ tantum laudis, famae, ornamenti, dignitatis consecuta esse intelligitur, vt quod cum multis alijs Academijs illi est commune, docẽdi munus; id huic vni consensu omniũ, & iudicio tribuatur, cum publico praeconio illud vsurpetur,

petur, BONONIA DOCET. *Vt hi parietes, haec atria, illa intercolumnia olere doctrinã, et clamitare, uideãtur. Quamobrem nihil equidem miror, uos homines humanitate expolitiß. rebus maximis assuetos, omnia magna, incredibilia, diuina deniq; exspectare. Illud esset mirandum magis, qui summa omnia semper habuistis, vos hac mea mediocritate eße contentos. Verum tanta mihi lux, apud vos nunc primum agenti humanitatis, studijq. vestri exoritur, ut in magno metu, bono animo sim; & in summa exspectatione animos vestros beneuolos, erectos, & alacres libenter intuear. Quo fit, vt conspectus uester multo iucundiß: & vultus, atq; oculi omnium, qui mirificũ quoddam egregiae voluntatis indicium praebẽt, plus mihi animi, & spei afferant, quàm res ceterae suggerant, timoris. Peto tamen a uobis, & contendo, vt hanc eandem alacritatem, quam mihi in hac prima ingreßione mea ad hibuistis, perpetuo conseruetis. Quandiu enim vos ita animatos intuebor, & hilares, tandiu libere ferentur uerba nostra, & studio vestro, tanquam leni quodam ventorum impulsu, ac flatu, rursus in vestris auribus, tanquam in tranquillo portu, conquiescent. Ac de mea mediocritate plura dicerẽ, nisi vererer, ne modestiae caussa magis, quàm, quòd ita sentirem, hæc a me dici putarentur. Illud tamen confiteor, tantas fuisse superiorũ doctorũ copias, in quorum ego vestigijs pedem pono, vt prae ijs, omnis nostra copia, summa inopia habenda sit. Itaq; Viri Ornatiß. non est, non est plane nostri ingenij; & do-*

ctrinae

ctrinae rei tantae pōdus sustinere; humanitatis vestrae est perficere, vt quod nostris uiribus sufferre non possumus, auxilio vestro subleuati, perferamus. Ego tamen, quod in re tanti momenti fieri, necesse est, primum immortalem machinæ totius molitorem, et effectorem Deum, cuius ui, & potestate omnia vbiq; gubernantur, & perstant, cuiusq; beneficio magis, quàm hominum studio, & labore humani animi functiones perficiuntur, oro; deinde a Sanctiss: Virgine aeterni regni socia, ceterisq; diuinæ ciuitatis ciuibus, quorum preces plus apud Deum, quàm nostra promerita valent, pacem, ac veniam peto, precorq; ab ijs, vt hodiernam lucem ad æternum decus, & ornamentum huius Academiae, atq; omnium vtilitatem illuxisse patiantur. Deinde vos omnes rogo, atq; obsecro, vt humanitatis vestrae fontes, qui semper optimo cuiq; maximi patuerunt, ne mihi vni clausos esse, patiamini. Ego enim, & si longe absim ab illa perfectissima forma eius viri, quem iamdiu splendor huius Academiae iure suo efflagitat, tamen, vt aliquid assequerer, tandiu hoc saxum voluo, sudo, laboro, contendo; nec rudem penitus, & ignauum gladiatorem meruisse, iudicarunt ij, qui me tot annos in hoc uersantem curriculo, in arena, in sole, & in puluere persistentem, ita decertasse, viderunt, ut auditorum non modo veniam, sed etiam beneuolentiam obtinuerim. Romae cum paulisper animus ex hoc contentioso strepitu liberatus, tranquillioris vitae recessu recrearetur, non nihil existimationis cum longo interuallo com

parassem;

parassem; Ecce nunc ad nouam ineundam rationem decertandi vocor, ad hunc ludum adducor, in arenam descendere, arma capere, uestram gratiam aucupari, beneuolentiam colligere cogor. Quam nisi mihi adesse in munere suscipiendo censuissem, cessissem plane ex hoc loco, & impositam personam deposuissem, neq; in caetu doctissimorum virorum locum vllum orationi meae fractae, & debilitatae reliquum esse, putauissem. Ac mihi hanc uestram frequentiam, dignitatem, splendorem intuenti stimulat, & pungit animum ardor quidam incredibilis sapientiae: quae me alio nō sinit euagari, & excurrere, Sed iure suo, de huius Academiae veteri instituto, verba facere admonet, ut quanta in ciues Bononienses laus, in omnes vtilitas, hinc redundarit, facile intelligatur. Etenim quod hi PP. AA. gymnasium hoc, sua luce recreauerint, quòd vigilantiss. Senatores tàm accurrate in omnes partes prospiciant; quod huc eximia doctrina viri tàm frequentes conuenerint; quòd ego hunc locum occupem, quòd uos tàm attente mihi dicenti adsitis, quòd ego vobis audientibus dicam; quòd tanto studio in omnes acquirendae sapientiae partes incumbamus, debita sunt illius ornamēta, non solum ad animorum nostrorum decus accommodata, sed ad Reip: dignitatem, & utilitatem comparata. De qua dum breuiter dico, peto a vobis, vt benigne, & attente verba mea audiatis. Certet vestra patientia cum nostra loquacitate, vestra grauitas cum nostris ineptijs, studium sapientiae cum nostra importunitate, ne, qui sem

per

per ex hoc certamine uictores euaſiſtis, hodierna die victi diſcedatis. Et quoniam praeſtare ceteris, glorioſum, contemni, et deſpici, turpe, mortales duxerunt, enitendũ, & elaborandum eſſe intellexerunt, vt dignitatem hominibus praeter ceteras animãtes, diuino munere conceſſam ornauiſſe potius, & amplificaſſe, quàm abieciſſe, aut diminuiſſe videantur. Illam ſtudio armorum, & doctrinae contineri ſtatuerunt; hac duplici via ad decus contendi; hac recta ire ad gloriam homines iudicauerunt. De bellica laude alias; nunc de doctrinae ornamento pauca perſtringamus, vt non iniuria dixiſſe principem ingenij Platonem, exiſtimemus, nullum maius donum hominibus a Deo conceſſum, nullum præſtantius dari poſſe, putemus. Duo genera in omni rep: fuerunt eorum, qui verſari in ſpatijs doctrinae, & in ijs ſe excellentius gerere ſtuduerunt. Quorum alteri quadam ſcientiarum pulchritudine capti, in eo uno neruos omnes contenderunt, ut facile dicendi ui, diſputandi ſubtilitate, arcanarum rerũ cognitione, ceteris antecellerent. Alteri ſtudio communis ſocietatis accenſi, verae ſapientiae vim, et ſplendorem introſpicientes, ad eum, cogitationem omnem, & contentionem accommodauerunt. Illorum animos tantus ſæpe ſtupor occupauit, vt honeſtatis immemores, præclare ſatis ſecum agi iudicarent, ſi quid inanis, ac falſae gloriae, vel ad exiſtimationem, vel ad potentiam nanciſcerentur. Horum mens tantum in re difficili modum tenuit, vt nec doctrinã a communi vtilitate, neq; vtilitatem aliorum

ſue

ſua poſteriorem exiſtimarent. Itaq; illi cum ſibi famã dumtaxat popularem in ſtudiorum ratione propoſuiſſent, ad eam ingenium, & induſtriam retulerunt. Hi cum omnem animi vim ad decus contuliſſent, in illud prorſus ſtudia omnia coniecerunt. Illi aura leuiſsima ulterius forte prouecti, quàm uellent, eo ſæpe delati ſunt, vbi amiſsis rationis gubernaculis ſic varijs errorum fluctibus iactarentur, vt nullum capere poſſent tranquillitatis portum. Hi cum in tutiſsimum ſinum honeſtatis eſſent ingreſsi iactis anchoris conſtantiae, nullis flatibus, in altum, in tempeſtates, in pericula impelli potuerunt. Illi cum de curſu multum deflexiſsent, in ſcopulos, in uada, in Syrtes inciderunt. Hi recta euntes, quo intendebant, facile peruenerunt. Etenim, ſi repetere memoria velimus omnes tempeſtates, & procellas, quibus ornatiſs: Reſp: penitus ſubmerſae, & obrutae fuerunt, ſic credo, ſtatuemus, aut omnes, aut longe grauiſs: quorundam opinione ſapientiae inflatorum fuiſſe concitatas. Taceo nimis antiqua; de noſtra rep: nihil dico; vtinam res, aut tàm eſſet obſcura, vt non intelligeretur, aut tàm leuis, & exigua, vt ſine dolore poſſet percenſeri. Sed genus illud deterrimũ praetermittamus; de eo loquamur, quod hominum communioni ornamento, ſocietati mortalium, adiumento fuiſſe cenſeatur. Impellit nos animi noſtri excellentia ad verum decus, incitat ad gloriam, ad dignitatem inflammat. Hoc nobis debet eſſe propoſitum, huc intueri, huc curſum dirigere debemus, ſi noſtrum nomen a

turba

turba secernere, & nominibus magnorum Heroum inserere desideramus. Hoc qui volunt boni, qui efficiunt, summi viri putantur. Hanc viam si facilem, & apertam esse dicam, mentiar. Magnis difficultatibus dignitas est circunuallata; pulchra omnia, & rara ardua sunt. Qui, quod eximium sit, intelligit, non minus elaborat, vt Resp. sibi, quàm ipse esse ornamento, et adiumento Reip. videatur. Etenim qui hanc viam sunt ingressi, nec sibi solum nasci, & prospicere, sed alijs consulere, & prodesse voluerunt, duobus mihi generibus uidentur contineri. Partim enim agendo, alios incitando, commoda suggerendo ceteros ad laudem traducere, student; partim docendo, scriptitando, monendo, dicendo, a tenebris alios reuocare contendunt. Huius generis duo sunt gradus dissimiles, ac dispares. Nam alteri rerum cognitione, diuites, orationis ornamentis inopes prudenter, sed parum ad communem vtilitatem accommodate dicunt, & scribunt. Alteri intelligendi prudentia, dicendi, & scribendi facultate praestantes rerum, et orationis copias ad publicam commoditatem accurate traducunt. Etenim qui ornatissime quiduis explicant, nihil tamen sapienter excogitare possunt, non adiumento Reip. Sed calamitati esse solent. Nam sapientia etiam si per se sola probetur intelligentibus, ad animos hominum regendos, vim satis magnam habere sola non potest. Cum nostra natura ita congruit, vt sitis sciendi in mentibus nostris ingenerata expleri nullo modo posit. Et certe homo non vt tarda, & langui-

da

da pecus ad pastum, & ventrem abiecta fuit ab immortali, mundi molitore procreatus, sed cum unum ex omnibus animantibus, animal. rationis particeps, diuinae mentis capax, plenum cōsilij, libera uoluntate praeditum esse, uideamus, multis, et praestantiss: muneribus tum ad intelligendum, tum ad agendum, excultum fuisse, cognoscimus. Vt pecudum similes, ac ferarum illi habendi sint, qui eisdem se uoluptatibus oblectant, et pascunt, quibus animantes tardae capiuntur. At qui congruenter hominum naturae viuere uelit; Sapientiae studium amplectatur, in ea se exerceat, in ea eloboret, ad illam suam vitam omnem componat. Haec sunt hominis nobilitate digna primordia, quae cum veteres indicare voluissent, Palladem doctrinae praesidem natam ex cerebro Iouis finxerunt, ut non humanum inuentum, sed diuinum munus faterentur. Haec sola est vera, & sincera voluptas, qua animus rerum cognitione perfunditur. Et quoniam in hominum mentibus illa opinio penitus iam insedit, atq; inueterauit, nihil magnum, nihil illustre, nihil magnopere memorabile geri, quod non ferro, atq; tumultu gestum sit, sola virtute militari Remp: contineri; apud uos certe hic tantus error non existet, vt ex armorum strepitu, & tormentorum apparatu verum decus ponderetis. Quod si nobilitatis humanae partem aliquam, et publicae quietis moderationem studio doctrinae, non denegetis; omnem tamen Reip: procurationem, statum ciuium, & salutem bellicae laudi tribuatis; nihil magnum putetis, nisi quod obstrepi

clamore

clamore militum, & tubarum compleri clangore sentiatis; intendite paulisper mentis aciem, et illorum hostium vim, & furorem considerate, quos viribus ingenij, & doctrinae, sine ferro, et machinis profligari, & confici necesse est ijs, qui publicae saluti, & otio ciuium uolunt & prospicere, & consulere. Tunc sic credo statuetis, omnia bella, quae magni Reges, & Imperatores gesserunt ludum esse, & iocum; illud esse difficile, & periculosum quod doctrinae praesidijs sustineatur. Etenim contra temere irruentes hostes, & Reip. exitium aperte machinantes; standum est, quasi in vigilia quadam, & excubijs; nisi perturbari omnia, & labefactari uolumus per eos, qui nouas semper, & falsas opiniones proseminant, & important; veteres, & veras ex animis hominum euellere, ac penitus obliterare conantur. Omitto reliqua, vt exitum aliquem inueniat oratio. An ignoramus eisdem armis oppugnari Remp: Christianam, quibus sapientiss: & Sanctiss: viri contra omnia conuellere, ac permiscere volentes, pro salute publica dimicarunt? An. non inde furibundi veritatis oppugnatores suxerunt venenum, vnde eius studiosi defensores antidota hauserunt? At si viri sapientes contra inauditam sceleratorum rabiem, & indomitum furorem ire obuiam non possent, illorum amentiam frangere, audaciam cohibere, conatum reprimere, motum coercere, ferociam retundere, quo loco res nostrae essent? quam libere hostes vagarentur, & impune? quo impetu omnia deijcerent, atq; pro-

sternerent?

sternerent? Nam, etiam si Deus immortalis tum maxime res labentes confirmare solitus sit, & erigere iacentes, cum omnino sumus humanis auxilijs destituti; postulat tamen, vt nos industriam nostram excitemus. Sapientissime igitur maiores nostri, quod est uel in pugna, uel in medendi arte multo maximum, et in quo exclamant omnes, & admirantur, gladium extorserunt hosti de manibus & illa ipsa acie illi caput amputarunt, qua is ipsorum iugulum petebat; & ea refecerunt morbo medicinam, ex qua vis eius omnis profluxerat. Nam, Chrysippaeis illis nodis dissolutis, tortuosis sophismatis, & argutijs callidis patefactis; perfractis imminentibus cornibus eisdem placitis illa confirmarunt, quibus versute, et ueteratorie hostes veritatis eadem conuellere nitebantur. Vt inusitatis laudibus illi sint afficiendi, qui nobis hoc praesidij genus pepererunt. Vt merito sapientia, lux vitae sit nominanda, propugnaculum publicae quietis, arx defensorum veritatis, promptuariũ communis salutis, clausum ad omnem falsitatem castellum; quod qui tenuerunt, facile inimicorum acies proruperunt, coniecta in se tela in eosdem retorserunt; irrisorum clamores, & sibila compresserunt; fuderunt oppositas copias; retuderunt hostiũ furorem, de perfidia, et peruicacia gloriosum triumphum egerunt: populi tumultuantis furias sedarunt; turbulentissimos fluctus discordiarum depulerunt; excitatas tempestates placauerunt, pestes a rep. propulsarunt, otium ciuium, et quietem compararunt. Hisce

armis Origenes Celsi philosophi superbientis caecos impetus coercuit. Eusebius, et Apollinaris oblatranti Porphyrio os atq; fauces obturarunt. Cyrillus, et Gregorius Nazianzenus septem illos libros Iuliani impudentiss. transfugæ, quos ille in expeditione Parthica in Christum vindicem, & assertorem libertatis nostrae plusquam canina rabie euomuerat, euerterunt. Quadratus, Aristides, Iustinus contra vanam, & anilem superstitionem, elegantissime disputarunt; eisdem septi præsidijs Tertullianus, Felix, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Myltiades, Dydimus, Basilius a veritate steterunt. Haec quanti sint momenti si perpendas; sileant bellicae laudes, necesse est, taceant arma, clara, & exornata trophea ubiq; erecta conticescant, insignia, & monumenta victoriarum harũ rerum obscurata splendore delitescant. Nos multum illos vidisse confiteamur, qui nobis hoc ornamenti, & adiumenti genus reliquerunt. Multum primis illis fundatoribus Theodosio, & alijs nos debere intelligamus, qui hanc antiquissimam sapientiae officinam, toti Reip: Christianae propositam constituerunt. Fuerit Orpheus apud Memphim, & Aegyptum omni doctrina perpolitus; Peragrarit omnem eandem regionem Salaminius Solon, Pythagoras Samius Polycratis disciplinis fuerit instructus. Fuerit Thales Milesius opinione hominum sapiens; fuerit Anaxagoras Clazomenius, alij permulti populari existimatione habiti fuerint sapientes; sed tamẽ nunquam hi cogitarunt, quod maiores nostri nobis cõmo-

dum pepererunt. Quocirca & si non negemus, illos, quibus artium inuentionem acceptam fert antiquitas, fuisse ingenio praestantes, assiduo usu exercitatos, rerum cognitione abundantes, flagrasse studios veri uidendi, fugisse hominū cœtus, cibum, potumq; neglexisse, dies no ctesq; aduigilasse, vt aliquam sapientiae partem asse querentur: Certe meditando, & cogitando nihilo plus adeptos fuisse dicamus, quàm quantum humanae mentes humi stratae suspicere potuerunt. At maiores nostri, & vi ingenij, & afflatu diuino altius euecti, tantum animo viderunt, quantum ad moderationem reip: & ad communem salutem necessarium iudicarunt. Nam, ut breuissima statura puer impositus in turrim altam, & excelsam multo longius, & latius prospicit in omnes partes, quàm quiuis alius, quamuis procero corpore ex loco humili, & depresso; sic illi primi exiguum quid mente comprehenderunt; maiores nostri, quasi ex altissima specula, longe plura prospexerunt, quàm omnes sapientes in infirmitate naturae nostrae depressi. Ter in siciliam Plato venit, si forte reperiret aliquam ciuitatem, in qua nouam illam Reip: speciem, quam animo inclusam retinebat, re ipsa exprimeret informando. At ciuitatem inuenit nullam, Architae Tarentini opera a Dyonisio liberatus, in exedris, et umbraculis consenuit, quod cogitarat, monumentis inclusit. Maiores vestri, viri Bononienses, eo spectarunt, vt Resp: vestra cum dignitate otium retineret, doctrinam ita in ciuium usus: & utilita-

tem priuatã conuerteret, vt illam tamen regnis, et prouincijs cõmunicaret, vt iure optimo MATER STVDIORVM BONONIA. dicatur, cũ omnia vbiq; gymnasia hanc ueluti parentem Academiam agnoscant; illi partum vberrimum doctrinae ferant acceptum. A que eo maior est huius Vrbis felicissimae laus, & gloria, quo longius, & latius splendor ipsius & vtilitas proseminatur: Huius fundatores, maiores uestri ad omnem aeternitatem suum nomen adiunxerunt; vos posteri eorumdem vestigijs inhaerendo, ad eandem gloriam spectatis, quam illi sibi propriam, & vobis alumnis suis perpetuam esse voluerunt. Ideo tanta munificentia, & studio vndiq; conquiritis eos, per quos hominum ingenia excolantur, vetus hoc vestrum institutum retineatur. Ideo haec lumina, & ornamenta doctrinae in vestris sedibus commorantur, vt facile omnium oculos, mentesq; perstringant, & ex multis, varijsq; bonis effulgens decus eorum non secus, ac lumen solis, splendescat. Et certe, nisi humanitatis uestrae, quasi nube quadam, lucem uestram paulisper obtegatis, qui ferat acies mea tantum fulgorem, ac non penitus hebescat, & obtundatur? Haec sane tam illustris erga me voluntatis significatio, omnem mihi referendae gratiae eripit facultatem; illud nihilominus bono animo esse iubet, quod eloquentiae princeps scriptum fecit, gratiae hanc esse naturam, ut eam, & qui habeat, retulisse, & qui retulerit, habere videatur. Sed quia conari, & eniti fas est, ne ingrati macula; suscipiatur,

obstat

obstat certe a tanta munificentia profectus metus; vt qui referendae gratiae par esse non possim, habenda, ne etiam iudicer inferior; contendam tamen, & excubabo animo in omnes officij partes, vt impositam mihi personam suceptam semel, & receptam accurrate sustentem; voluptati vestrae obtemperem, utilitati publicae seruiam, Academiae dignitati, & nomini respondeam. Haec habui, quae in hac prima ingressione mea uobis audientibus dicerem. De officio meo, de libris, quos interpretandos suscepi, de tota dicendi arte quid sentiam, dicam proxima luce, vestra bona venia, ne uobis, quibus minime molestus esse cupio, nimia loquacitate, quasi in primo aditu diutius perstrepam. Peto a vobis, & pro meo erga hanc Academiam studio, & obseruantia efflagito, vt mihi de praeclara facultate nonnulla magna, & vtilia commentanti in proximam lucem, hac eadem alacritate velitis adesse.

ORATIO SECVNDA AB EODEM HABITA,

Eodem loco, Postridie eius diei, quàm habuit primam.

ET si ita usu uenire uideamus. Viri ornatissimi, ut hominum cōsilia euentis ponderentur; ut cui bene res procedat, ille multum prouidisse, cui secus, nihil sensisse iudicetur; ut iam nihil sapientis esse videatur, nisi diuinare; susceptum tamen hoc litterarium negotium me magnopere consolatur, & recreat; quod in spem non dubiam veniam, futurum, ut nostra industria, & conatus uobis probetur. Primum offertur mihi occasio benemerendi; deinde vestra in me beneuolentia

uolentia, mea in vos obseruantia, hac docendi, & audiendi exercitatione declaratur. Postremo hoc me ornatissimo optimatum Bononiensium concilio debere intelligo, quorum egregium in me asciscendo studium praeclaro testimonio contestatum extat, ut etiam si omnes industriae, & ingenij neruos contendam, vix tamen illorum singularia assequar promerita: Nec vero me unquam puduit, nec pudebit, benedicendi artem factitare in ea praesertim Academia, quae summos uiros, eloquentiam profitentes aspexit; ut mea industria viam ad orationis laudem iuuentuti aperiam, ut paruo labore, ac sine errore possint ad praeclaram facultatem aspirare. Quae non modo animum excolit, orationem exornat, sensa mentis expromit, sed arma suppeditat, quibus aut tectus possis esse, aut aduersarios oppugnare, aut hominum uoluntates ad honestatem impellere, aut mentes a turpitudine auocare, ad omnem rationem aequitatis conuertere. Hesternadie habuimus uestros animos perattentos, et beneuolos, si quam coniecturam afferre potest vultus, & oculorum significatio; id fuit nobis gratiss: nec vos posuisse officium apud hominem ingratum debetis putare. Adiungite obsecro ad illam alacritatem, hanc etiam accessionem beneuolentiae, & egregiae voluntatis testimonium, ut eadem attentione mihi de Eloquentia, ac suscepta prouincia verba facienti, velitis adesse, ut ad magnum, beneficium hunc, quasi cumulum addatis. Res erit vobis, ut spero non ingrata, non, aliena ab instituto meo; ad fru-

ctum, & utilitatem accommodata. Est quasi quidam foetus rationis oratio; est eiusdem veluti non obscurus nuncius, & interpres sermo; est imago mentis, est lumen animi, quo, quae penitus abdita, & recondita latent in pectoribus, explicantur. Ratio res abditas inquirit, et indagat, rerum progressiones notat, earumdem cursum coniectat; oratio eadem in apertum deducit, et occulte in animo inclusa patefacit. Haec duo maxima sunt humani animi ornamenta; haec vitae lumina, faces, & decora haec nos a bestijs secernunt, quasi quosdam Deos mortales efficiunt. At dissidium linguae, & cordis & absurdum est, & improbandum. Vt neque eos, qui inflati opinione sapientiae eloquentiam contemnunt debeamus approbare; neq; eos, qui uano verborum sonitu delectantur, admirari. Vt praeclare eloquentiae parens dixerit. Composite, & apte sine sententijs dicere esse insaniam: sententiose, sine verborum ordine, & modo, infantiam. At superbissimo fastidio mortalium recte, & sapienter cogitata non satisfaciunt, nisi lectissimis verbis grauissimisq; sententijs ad aures, tanquam quibusdam vehiculis perferantur: nec fidem faciunt, nec in mentes influunt, nec memoriam gratam habent, neque diuturnam. Quae vero libenter audiuntur, sic arripiuntur, vt, nullo unquam tempore, ex memoria elabantur. Et certe quae sapienter, & iucunde dicuntur, assensionem hominum commouent, studia excitant; comparant admirationem, laetis audientium acclamatio

nibus

reprehendere? Quae uis verborum, quae sententiarum grauitas, quae agentis auctoritas postulatur? Vis cohortari ad officium quempiam? Inflammatus accedas, necesse est, vt is, qui audit, exardescat. Dolorem leuare, & a cogitatione malorum vis alium abducere? Quae dicendi copia, quod orationis flumen, quae contentio, & varietas desideratur? Pro collatis beneficijs vis gratias agere? Quae verborum pondera requiruntur, vt, qui rem re non remuneraris, ne verbis imminuisse videaris? Gratulari intendis? Quae sermonis suauitas, quae significatio perceptae laetitiae, quod indicium beneuolae voluntatis tali in re praeseferenda. Petis, expostulas, deprecaris, impetras, negas, subterfugis, dissimulas, rem alio vertis, auditorem alio vocas? Quae eloquentiae ornamenta, quae venustas expectatur, vt, vel exores inexorabilem, & flectas; vel cum deneges, omnia tamen sint grata, quae facias? Iam orationis decorum seruare qui sciet artis oratoriae rudis, & ignarus? An leuium rerum artifices, in suo quem genere, perfectos exquiremus, populi rectorem, animorum moderatorem, vitae magistrum, stipitem aliquem, & lapidem idoneum esse putemus? Nemo suos agros villico rei rusticae ignaro committit; multo minus pecuniae procurationem ei credit, qui subducere rationes, & acceptas, & expensas ferre nequeat. Nemo nauim regendam ei tradit, qui clauum tene-

re, uela

clamore militum, & tubarum compleri clangore sentiatis; intendite paulisper mentis aciem, et illorum hostium vim, & furorem considerate, quos viribus ingenij, & doctrinae, sine ferro, et machinis profligari, & confici necesse est ijs, qui publicae saluti, & otio ciuium uolunt & prospicere, & consulere. Tunc sic credo statuetis, omnia bella, quae magni Reges, & Imperatores gesserunt ludum esse, & iocum; illud esse difficile, & periculosum quod doctrinae praesidijs sustineatur. Etenim contra temere irruentes hostes, & Reip. exitium aperte machinantes, standum est, quasi in vigilia quadam, & excubijs; nisi perturbari omnia, & labefactari uolumus per eos, qui nouas semper, & falsas opiniones proseminant, & important; veteres, & veras ex animis hominum euellere, ac penitus obliterare conantur. Omitto reliqua, vt exitum aliquem inueniat oratio. An ignoramus eisdem armis oppugnari Remp: Christianam, quibus sapientiss: & Sanctiss: viri contra omnia conuellere, ac permiscere volentes, pro salute publica dimicarunt? An. non inde furibundi veritatis oppugnatores suxerunt venenum, vnde eius studiosi defensores antidota hauserunt? At si viri sapientes contra inauditam sceleratorum rabiem, & indomitum furorem ire obuiam non possent, illorum amentiam frangere, audaciam cohibere, conatum reprimere, motum coercere, ferociam retundere, quo loco res nostrae essent? quam libere hostes vagarentur, & impune? quo impetu omnia deijcerent, atq; pro.

sternerent? Nam, etiam si Deus immortalis tum maxime res labentes confirmare solitus sit, & erigere iacentes, cum omnino sumus humanis auxilijs destituti; postulat tamen, vt nos industriam nostram excitemus. Sapientissime igitur maiores nostri, quod est uel in pugna, uel in medendi arte multo maximum, et in quo exclamant omnes, & admirantur, gladium extorserunt hosti de manibus & illa ipsa acie illi caput amputarunt, qua is ipsorum iugulum petebat; & ea re fecerunt morbo medicinam, ex qua vis eius omnis profluxerat. Nam, Chrysippaeis illis nodis dissolutis, tortuosis sophismatis, & argutijs callidis patefactis; perfractis imminentibus cornibus eisdem placitis illa confirmarunt, quibus versute, et ueteratorie hostes veritatis eadem conuellere nitebantur. Vt inusitatis laudibus illi sint afficiendi, qui nobis hoc praesidij genus pepererunt. Vt merito sapientia, lux vitae sit nominanda, propugnaculum publicae quietis, arx defensorum veritatis, promptuariũ communis salutis, clausum ad omnem falsitatem castellum; quod qui tenuerunt, facile inimicorum acies proruperunt, coniecta in se tela in eosdem retorserunt; irrisorum clamores, & sibila compresserunt; fuderunt oppositas copias; retuderunt hostiũ furorem, de perfidia, et peruicacia gloriosum triumphum egerunt: populi tumultuantis furias sedarunt; turbulentissimos fluctus discordiarum depulerunt; excitatas tempestates placauerunt, pestes a rep: propulsarunt, otium ciuium, et quietem compararunt. Hisce

armis Origenes Celsi philosophi superbientis caecos impetus coercuit. Eusebius, et Apollinaris oblatranti Porphyrio os atq; fauces obturarunt. Cyrillus, et Gregorius Nazianzenus septem illos libros Iuliani impudentiss. transfugæ, quos ille in expeditione Parthica in Christum vindicem, & assertorem libertatis nostrae plusquam canina rabie euomuerat, euerterunt. Quadratus, Aristides, Iustinus contra vanam, & anilem superstitionem, elegantissime disputarunt; eisdem septi præsidijs Tertullianus, Felix, Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Myltiades, Dydimus, Basilius a veritate steterunt. Haec quanti sint momenti si perpendas; sileant bellicae laudes, necesse est, taceant arma, clara, & exornata trophea ubiq; erecta conticescant, insignia, & monumenta victoriarum harũ rerum obscurata splendore delitescant. Nos multum illos vidisse confiteamur, qui nobis hoc ornamenti, & adiumenti genus reliquerunt. Multum primis illis fundatoribus Theodosio, & alijs nos debere intelligamus, qui hanc antiquissimam sapientiae officinam, toti Reip: Christianae propositam constituerunt. Fuerit Orpheus apud Memphim, & Aegyptum omni doctrina perpolitus; Peragrarit omnem eandem regionem Salaminius Solon, Pythagoras Samius Polycratis disciplinis fuerit instructus. Fuerit Thales Milesius opinione hominum sapiens; fuerit Anaxagoras Clazomenius, alij permulti populari existimatione habiti fuerint sapientes; sed tamẽ nunquam hi cogitarunt, quod maiores nostri nobis cõmo-
dum

dum pepererunt. Quocirca & si non negemus, illos, quibus artium inuentionem acceptam fert antiquitas, fuisse ingenio praestantes, assiduo usu exercitatos, rerum cognitione abundantes, flagrasse studio veri uidendi, fugisse hominũ cœtus, cibum, potumq; neglexisse, dies noctesq; aduigilasse, ut aliquam sapientiae partem assequerentur: Certe meditando, & cogitando nihilo plus adeptos fuisse dicamus, quàm quantum humanae mentes humi stratae suspicere potuerunt. At maiores nostri, & vi ingenij, & afflatu diuino altius euecti, tantum animo viderunt, quantum ad moderationem reip: & ad communem salutem necessarium iudicarunt. Nam, ut breuissima statura puer impositus in turrim altam, & excelsam multo longius, & latius prospicit in omnes partes, quàm quiuis alius, quamuis procero corpore ex loco humili, & depresso; sic illi primi exiguum quid mente comprehenderunt; maiores nostri, quasi ex altissima specula, longe plura prospexerunt; quàm omnes sapientes in infirmitate naturae nostrae depressi. Ter in siciliam Plato venit, si forte reperiret aliquam ciuitatem, in qua nouam illam Reip: speciem, quam animo inclusam retinebat, re ipsa exprimeret informando. At ciuitatem inuenit nullam, Architae Tarentini opera a Dyonisio liberatus, in exedris, et umbraculis consenuit, quod cogitarat, monumentis inclusit. Maiores vestri, viri Bononienses, eo spectarunt, ut Resp: vestra cum dignitate otium retineret, doctrinam suam in ciuium usus & utilita-

tem priuatā conuerteret, ut illam tamen regnis, et prouincijs cōmunicaret, ut iure optimo MATER STVDIORVM BONONIA. dicatur, cū omnia ubiq; gymnasia hanc uelu ti parentem Academiam agnoscant; illi partum uberrimum doctrinae ferant acceptum. A que eo maior est huius Urbis felicissimae laus, & gloria, quo longius, & latius splendor ipsius & utilitas proseminatur: Huius fundatores, maiores uestri ad omnem aeternitatem suum nomen adiunxerunt, vos posteri eorumdem uestigijs inhaerendo, ad eandem gloriam spectatis, quam illi sibi propriam, & vobis alumnis suis perpetuam esse voluerunt. Ideo tanta munificentia, & studio undiq; conquiritis eos, per quos hominum ingenia excolantur, vetus hoc vestrum institutum retineatur. Ideo haec lumina, & ornamenta doctrinae in vestris sedibus commorantur, ut facile omnium oculos, mentesq; perstringant, & ex multis, varijsq; bonis effulgens decus eorum non secus, ac lumen solis, splendescat. Et certe, nisi humanitatis uestrae, quasi nube quadam, lucem uestram paulisper obtegatis, qui ferat acies mea tantum fulgorem, ac non penitus hebescat, & obtundatur? Haec sane tam illustris erga me voluntatis significatio, omnem mihi referendae gratiae eripit facultatem; illud nihilominus bono animo esse iubet, quod eloquentiae princeps scriptum fecit, gratiae hanc esse naturam, ut eam, & qui habeat, retulisse, & qui retulerit, habere videatur. Sed quia conari, & eniti fas est, ne ingrati macula; suscipiatur,

obstat

obstat certe a tanta munificentia profectus metus; vt qui referendae gratiae par esse non possim, habenda, ne etiam iudicer inferior; contendam tamen, & excubabo animo in omnes officij partes, vt impositam mihi personam suceptam semel, & receptam accurrate sustentem; voluptati vestrae obtemperem, utilitati publicae seruiam, Academiae dignitati, & nomini respondeam. Haec habui, quae in hac prima ingressione mea uobis audientibus dicerem. De officio meo, de libris, quos interpretandos suscepi, de tota dicendi arte quid sentiam, dicam proxima luce, vestra bona venia, ne uobis, quibus minime molestus esse cupio, nimia loquacitate, quasi in primo aditu diutius perstrepam. Peto a vobis, & pro meo erga hanc Academiam studio, & obseruantia efflagito, vt mihi de praeclara facultate nonnulla magna, & vtilia commentanti in proximam lucem, hac eadem alacritate velitis adesse.

ORATIO SECVNDA AB EODEM HABITA,

Eodem loco, Poſtridie eius diei, quàm habuit primam.

ET ſi ita uſu uenire uideamus. Viri ornatiſsimi, ut hominum cõſilia euentis ponderentur; ut cui bene res procedat, ille multum prouidiſſe, cui ſecus, nihil ſenſiſſe iudicetur; ut iam nihil ſapientis eſſe videatur, niſi diuinare; ſuſceptum tamen hoc litterarium negotium me magnopere conſolatur, & recreat; quod in ſpem non dubiam ueniam, futurum, ut noſtra induſtria, & conatus uobis probetur. Primum offertur mihi occaſio benemerendi; deinde veſtra in me bene

 uolentia

uolentia, mea in vos obseruantia, hac docendi, & audiendi exercitatione declaratur. Postremo hoc me ornatissimo optimatum Bononiensium concilio debere intelligo, quorum egregium in me asciscendo studium praeclaro testimonio contestatum extat, vt etiam si omnes industriae, & ingenij neruos contendam, vix tamen illorum singularia aßequar promerita: Nec vero me unquam puduit, nec pudebit, benedicendi artem factitare in ea praesertim Academia, quae summos uiros, eloquentiam profitentes aspexit; vt mea industria viam ad orationis laudem iuuentuti aperiam, vt paruo labore, ac sine errore posint ad praeclaram facultatem aspirare. Quae non modo animum excolit, orationem exornat, sensa mentis exprommit, sed arma suppeditat, quibus aut tectus posis esse, aut aduersarios oppugnare, aut hominum uoluntates ad honestatem impellere, aut mentes a turpitudine auocare, ad omnem rationem aequitatis conuertere. Hesternadie habuimus uestros animos perattentos, et beneuolos, si quam coniecturam afferre potest vultus, & oculorum significatio; id fuit nobis gratiß: nec vos posuiße officium apud hominem ingratum debetis putare. Adiungite obsecro ad illam alacritatem, hanc etiam accessionem beneuolentiae, & egregiae voluntatis testimonium, ut eadem attentione mihi de Eloquentia, ac suscepta prouincia verba facienti, velitis adesse, vt ad magnum, beneficium hunc, quasi cumulum addatis. Res erit vobis, vt spero non ingrata, non, aliena ab instituto meo; ad fru-

 ctum,

reprehendere? Quae uis verborum, quae sententiarum grauitas, quae agentis auctoritas postulatur? Vis cohortari ad officium quempiam? Inflammatus accedas, necesse est, vt is, qui audit, exardescat. Dolorem leuare, & a cogitatione malorum vis alium abducere? Quae dicendi copia, quod orationis flumen, quae contentio, & varietas desideratur? Pro collatis beneficijs vis gratias agere? Quae verborum pondera requiruntur, vt, qui rem re non remuneraris, ne verbis imminuisse videaris? Gratulari intendis? Quae sermonis suauitas, quae significatio perceptae laetitiae, quod indicium beneuolae voluntatis tali in re praeseferenda. Petis, expostulas, deprecaris, impetras, negas, subterfugis, dissimulas, rem alio vertis, auditorem alio vocas? Quae eloquentiae ornamenta, quae venustas expectatur, vt, vel exores inexorabilem, & flectas; vel cum deneges, omnia tamen sint grata, quae facias? Iam orationis decorum seruare qui sciet artis oratoriae rudis, & ignarus? An leuium rerum artifices, in suo quem genere, perfectos exquiremus, populi rectorem, animorum moderatorem, vitae magistrum, stipitem aliquem, & lapidem idoneum esse putemus? Nemo suos agros villico rei rusticae ignaro committit; multo minus pecuniae procurationem ei credit, qui subducere rationes, & acceptas, & expensas ferre nequeat. Nemo nauim regendam ei tradit, qui clauum tene-

re, vela pandere, aut colligere, cum res postulet, ignoret. Sola ne igitur persuasio popularis, voluntatum, & animorum conuersio, quo velis, vnde volueris, auersio, aut tàm leuis est, & vilis, ut sit contemnenda, aut tàm exigua, vt quae minimis rebus cura debetur, illi eadem denegetur? At si ministra est ciuilis prudentiae eloquentia; si omnes propemodum actiones publicas, & priuatas amplectitur, si uitae institutum docet; Si omnium sententiam moderatur, quis erit, qui hoc tantum rerum gerendarum adiumentum praetermittat, & negligat? An difficultas nos remorabitur? At si tàm difficilis res esset, vt eam pauci assequi poßent, tamē in re tàm honesta, et fructuosa omnes neruos contendere, par esset; vt tanto ornamento, & nos, & Remp. cohonestaremus. Vobis ergo hanc rationem persequi volentibus, & collegae mei viri singulari doctrina, & nos qualescumque simus, adiungimur, vt hoc oratorium iter ingredientibus, & viarum diuortia, & qua eundum, quid cauendum sit, ex hoc loco, quasi intento digito indicemus, vt quo intenditis commode possitis peruenire. Ego certe, quod ad me attinet, polliceor, in meque recipio, & spondeo, daturum me diligenter operam, vt totum hoc artificium, sic vestrum faciam, vt nullo loco officium meum requiratis. Siquidem tradendi ratione doctoris munus, audiendi diligentia auditoris partes continentur. Primum igitur spectandus est ordo in docendo, deinde videndum, vt vti-

lia praecepta explicentur, aliena reijciantur, vsus declaretur, minutae, & spinosae disputationes negligantur: Ingenia auditorum varijs exercitationibus scriptitandi, & dicendi, ad omnem laudem traducantur; summum artis decorum, & artificium aperiatur, ad imitationem magnorum oratorum auditores excitentur. Haec omnia, pro mea virili, recipio, me accurate esse facturum. Auditor modo adsit animo, qui adest corpore, disserentem attente audiat, memoria, quae dicuntur, comprehendat, in vsum, & exercitationem deducat; varie, numerose, apte scribere, & dicere discat. Intelligat solum, & quasi fundamentum oratoris esse Latini, purique sermonis integritatem; ne inuentis frugibus, glandibus vesci studeat. Eam primum curam suscipiat, vt quam elegantissime, & apertissime scribat, & loquatur. Studiose peruolutet candidi sermonis auctores, quorum lectione, veluti pabulo alatur oratio, & animus ad imitationem informetur. Ad vnum Ciceronem legendum, & cognoscendum sese accommodet; sic plane intelliget, quid sit composite, & ornate loqui: quae sit vera succi plena, & colore florens eloquentia, non pigmentis oblita, non fuco puerili deprauata. Hac ratione neque extenuabit, quod amplificandum erit, nec quod diminuendum fuerat, augebit, nec, quae sunt contraria maxime illustrabit. Quod saepe vsu venire videamus, vt stomachum nonnulli

audito-

auditoribus moueant, Dum eorum animos vehementius conati concitare in medio cursu repente, concidant: alij mirabilius locum aliquem ornare aggressi consilio, ac ratione deficiantur. Saepe pro amore odium, pro admiratione, risum moueant, inuidiam pro misericordia concitent; pro lacrymis in cachinum impellant. Quare incumbite animis, atque omni studio ad eam facultatem, qua hominis dignitas, populi salus, ciuilis prudentiae laus, nostrarum functionum ornamentum, & adiumentum continetur. Antiquos oratores legimus, aut audimus, vt in ciuilibus controuersijs suam sententiam probarent, sudasse, aduigilasse, contendisse, laborasse; nulli nec diligentiae pepercisse, nec praetermisisse occasionem, vt hoc tanto rerum agendarum praesidio communirentur. Nos ad omnem vitae societatem, & ad communem salutem necessariam facultatem negligemus? a nobis excludemus, aspernabimur? Illi callide, & versute se se ingratiam audientium insinuabant, & aditum uel ad turpiss: caussam faciebant: nos, vt hominum nobis beneuolentiam adiungamus, vt alios falsa opinione liberemus, vt orationis acumine salutaria decreta comprobemus, vt delirantium somnia coarguamus, pro ueritate contra falsitatem stemus, aliquam contentionem non suscipiemus? Maiores nostri hoc salubre remedium ad pestiferum sceleratorum orationis venenum eloquentiae copijs instructi in acie, in campo, in sole, & puluere perpetuo versabantur. Nos, quasi ad

umbram, & otium nati abiectis armis languescemus? Illi res multas, & magnas elegantißima oratione explicatas nobis reliquerunt; Nos socordia marcescentes nullam partem dignitatis tuendae defendemus? An quod pulsa foro sit apud nos Eloquẽtia, ideo minus amplectenda iudicatur? Atqui toti Reip. praeest, moderatur doctorum hominum conuentus, dominatur in concionibus populi, vitae decreta continet, & regit, ad constituendam ciuilem societatem conuocatur omnes humanas functiones exornat, & pertractat. An timemus, ne sit tenuis, & inops ad quaestum faciendum: Non est hominis pretio, & mercede magis, quàm propria dignitate res metiri, & expetere. Vtriq. ergo ad officium incumbamus; & studium dignum ingenio, dignum aetate, dignum patria nobilitate, dignum gloria immortali persequamur; vt nobis ornamento, Reip: adiumento perpetuo esse poßimus.

FINIS.

- 34